34-10-F-16

IOANNIS PADVANII VERONENSIS

OPVS DE COMPOSITIONE ET VSV *multiformium Horologiorum Solarium pro diuerſis mundi regionibus, idq́; vbique locorum tam in ſuperficie plana horizontali, quàm murali quorſumcumq; expoſita ſit, pertractans.*

NVPER BREVISSIMIS AC FACILLIMIS doctrinis ab eo excogitatis luculenter traditum, Nunc primum in lucem prodit.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M D LXX.
Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem.

34 10 F 16

Di Giuseppe Pinamot

AD REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM, D. IOANNEM DELPHINVM Epiſcopum Torcellanum.

Joannes Paduanius Veronenſis S. D.

QVàm non uſquequaque, ſemper ad ueritatem illa reſpondere ſolita ſint, quæ ad habendas ſiue circulorum dimenſiones, ſiue linearum in certas partes diſtributiones, uel circini uel regulę opera à Mathematicarum rerum peritis fiant, nemini puto dubium eſſe, qui huiuſmodi ſcientiæ omnino rudis non ſit. Nam & in circunferentiis diſpertiendis, ſi quis uel tantillum ab eo, quod ratio uera præſcribit, aberrarit: diſſectæ partes certam inter ſe ſingùlæ magnitudinis rationem habere nō poſſint. Simili modo ſi lineam ducturus, quā in aliam coire conueniat, aut parallelam aliquam procreaturus uel punctum ab eo deflexeris, quod rectè perſuaſa mens præcisè faciendum monuerit, ingens ex hoc error exiſtat neceſſe eſt; idq; ob eam, quæ ſenſim fiat linearum, quo longius in iis ducendis procedas, ab eo, quod tibi initio propoſueris, maiorem ſemper aberrationem. Mitto quòd in quibuſuis Aſtronomicis inſtrumentis fabri-

candis uariæ diſtantiæ huc illucq; ſæpenumerò ſunt
transferendę, quę quidem res magnam interdũ tranſ
ferenti & hallucinationem affert, & laboris moleſtiã.
Hinc fit ut errores multi, alij poſt alios ſubinde orian
tur: qui quamuis initio ſinguli leues ſint, multiplicati
tamen, incredibile eſt, quantas poſtremò eruendę ue
ritatis luci tenebras offundant. Quamobrem, ut aper
te dicam quod ſentio, ne Euclides quidem uel Archi
medes, ſi hiſce inſtrumentis aditum ſibi ad ueri inſpe
ctionẽ parare uoluiſſent: effugere potuiſſent, quin in
maximos ipſi quoq; errores inciderent: quos nos, ut
quatenus fieri poſſet, uitaremus, ac laboris etiam cõ-
pendium faceremus, præter adiumenta quàmpluri-
ma, quæ Geometricarum rerũ ſtudioſis attuliſſe nos
noſtra induſtria arbitramur: dedimus etiam operam,
ut in ijs tradendis, quæ de horariis condendis, quæ
σκιοθηρικὰ gręci ducto ab umbrarum obſeruatione uoca
bulo appellant, ſolerter inueſtigauimus, Arithmeti-
cam primò, uti ſcientiarum certiſſimam, ducẽ ac ma-
giſtram haberemus: deinde quę docenda eſſent, ſecan
dis ad pares angulos lineis doceremus: ꝙ hac ratio-
ne error, qui ſub ſenſum caderet, uel nullus, uel per
quam minimus inueniri poſſit. Docuimus autem nõ
ſolum quemadmodum in planitie à cœli circulo fini
tore muroue aliquo comprehenſa, aut alia quacunq;
quoquouerſum uel in ipſum etiam ſeptẽtrionem ſpe
ctante: uerum etiam in quauis ſuperficie, quamuis de
cliuis aut inæqualis ea ſit, ea quamfacillimè deſcri-
bantur

bantur, atque hæc breuiſſimo hoc commentariolo cõplexi ſumus, quod in tres partes diuiſimus, ut prima præter horologiorum definitiones, Geometrica etiam quædam rudimenta unà cum linearum, circulorumq; diuiſionibus, atq; ijs, quæ ad hæc tractanda eſſent neceſſaria doctrinæ fundamentis contineret. In altera, uia ad ſupputandas tabulas haberetur quò magis in promptu, & quaſi ad manus eſſet quicquid neceſſarium foret, quum uentum eſſet ad tertiam, in qua ipſa agendi ad uſum accommodata ratio à nobis explicaretur. In ipſa porro tertia, tota conſtruendorum horologiorum, tam Solarium, quàm cuiuſuis alterius generis omnium ſcientia eſſet. Sed quamuis huiuſcemodi opus in tres partes diuiſerimus: placuit tamen nobis in præſentia hanc tertiam omnes aliarũ doctrinas in vnam ſummam comprehendentem pateſacere. reliquas uerò, quum ſint in procinctu, Deo auſpice, propediem in lucẽ proferemus. Hæc igitur (ut ad propoſitum redeamus) putamus ſi non ornatè, quod ornari res ipſa neget, contenta doceri, at certe tam aptè tamque diſtinctè ac dilucidè fuiſſe à nobis expreſſa: ut futurus ſit nemo tã tardo ingenio, uel Mathematicarum diſciplinarũ principijs uſq; adeo nudus, qui non ea facile percipere, atq; eiſdem quàm expeditiſſimè, & abſque ullo errore pro uoto ſuo uti poſſit. Quantum autem uigiliarum in hoc opere conficiẽdo exhauſerimus, iis, qui rerum huiuſcemodi cognitionem aliquam habent, relinquimus iudicandũ.

Et quo-

Et quoniam compluribus de ſamilia noſtra peculiare, atque inſitum quodammodo fuit: ut in uiros eccleſiaſticos, ipſosq́; adeo pręcipue eccleſiarum pręſides ualde ſemper officioſi fuerint: eaq́; ratione ſe in eorum cliẽtelam, fidemq́; inſinuarint: quippe quum (ut cæteros ſuperioris memorię taceam) & Franciſcus pater monachis oliuetanis aſſiduè, quamdiu uixit, in ciuitate noſtra operam ſuam ſacris carminibus in eorum eccleſiæ organis, modulandis nauarit, & Blaſius patruus ex Helenianorum ſodalium numero vnus, quamdiu ipſe etiam in vita ſuit, quam prope ad octuageſimum ſextum uſque annum produxit, in eccleſia ciuitatis primaria idem, quod & pater, munus magna cum omnium ciuium laude præſtiterit, editisq́; duobus per quam utilibus ſtudioſæ Muſices iuuentuti voluminibus, ea in Ioannis Matthęi nomine apparere uoluerit. ex qua quidem animi ſui in eum facta ſignificatione, illud erat aſſecutus, ut apud clariſſimi nominis põtificem, qui omnes eos, in quibus probitatis ac uirtutis lumen aliquod eluceret, per quàm ſtudioſè complecti conſueuerat, ſumma in gratia eſſet: neq; quiſquam ex eo ſacerdotum numero reperiretur, quibus cum uiueret, qui honeſtiorem eo apud ſummi iudicij pręſulem locum teneret. Quæ quum ita ſint: iccircò ego quoque meorum nixus ueſtigijs, & paterni muneris apud Oliuetanos partes ſubiui, & opus hoc de horariorum uarijs generibus deſignandis tibi, quem inter pręclaros noſtrę huius

ius

ius regionis Antiſtites, præcipuum mihi patronum delegi, dicandum duxi, ea potiſſimum ratione, quòd te ab huiuſmodi ſtudijs, quibus nos maximè ſemper delectati ſumus, ſcirem non abhorrere. Accipe igitur optime, atque humaniſſime præſul, opus, dum nullius ſequi ueſtigia eſt animus, magno à me labore, & totum noſtro (ut dicitur) marte confectum. quod quidem ſi gratum tibi: tuiq; excellentis in omni re iudicij approbatione commendatum exiſſe cognouero: erit profecto quamobrem & ſuſceptorum à me in eo conficiendo laborum, longarumq;, quas dixi, uigiliarum, me nunquam pœniteat: & ad maiora etiam in tuæ ſpem gratię deinceps molienda, animus mihi maiores in dies uires aſſumat. Vale.

ΑΔΑΜΟΣ Ὁ ΦΟΥΜΑΝΟ'Σ

ΒΗΡΩΝΕΥΣ ΤΟΙ͂Σ ΑΝΑΓΝΩΣΟΜΕ'ΝΟΙΣ.

Ὅσσον περὶ πολέων μαχίμου συστήματος ἀνδρῶν
  Κῦδος τίς ποτ' ἄναξ ἔλλαβε δηϊδάμας,
Τόσσον νῦν πολύϊδρις ἐμὸς παδουάνιος ἱρεὺς
  Ἀδρανέων ὀλίγων εὔρατο περὶ σκιάδων,
Αἷς ὥρας ἀνέφηνε πολυχρύσους πετεινάς,
  Οἷά τις ἄλλος ἄτλας, ἢ νέος ἡλιάδης,
Παντοίοις δαπέδων ἐν σχήμασιν, ἢ ἔπι τείχων,
  Ὧν ἄνα τυτθὸν ὅσον βῇ φάος ἠελίου,
Ἄλλά τε πολλά, βίῳ μέγ' ὀνήσιμα, ἠδ' ἐπιτερπῆ,
  Τοῖς μήτοι σκαιὸν πάμπαν ἔχουσι νόον
Καὶ δὴ πάντα σαφῶς οὕτως διεδείξατο, ῥᾷστα
  Ὥστε νοεῖν παῖδας καὶ μάλα νηπιάχους.
Τοὔνεκά μιν δνοφεροῖς λήθης ῥόος οὐδὲν ἰάψει
  Πᾶσι πέρα μνήμης ἄξιον ἐσσομένοις.
Τίπτε σοφῶν ἄρα μοι μέμφῃ γένος; ἠνίδ' ὀφείλεις
  Πόσσα θεῷ, σοὶ τήνδ' ὅς μετέδωκε χάριν;
Ὥστε δύνασθαι ἄναξι νόου κλέος ἀγλαΐῃσι
  Κἀκ σμικρῶν μεγάλοις μνώμενον ἶσον ἔχειν.

Adami Fumani Veronenſis.

Quantum minores armiger curat Iouis
  Aues in altis ætheris volans plagis,
Sturnos loquaces, & loquaces gracculos:
Huiuſce tantum credite auctorem libri
Fretum integrè albo iudicantum calculo
Curare quicquid peſſimi inuidi ſibi
Audetis omnes, quotquot eſtis, obloqui.

IOANNIS PADVANII VERONENSIS

In totum opuſculum de variis Horologiorum ſciothericorum texturis figurandis tractans.

ARGVMENTVM.

SOLENT periti Mathematici, antequam ad ullas ſcientiæ ſuæ functiones aggrediantur, iactis ualidiſſimis ueluti fundamentis, ſemper ferè certam iis fidé præſtruere: ut ab quiuis tardioris etiam ingenij eç ſine ulla difficultate percipi poſſint. Eorum nos ueſtigia ſectantes ad explicanda ea, quæ tradituri ſumus, & in quibus tota ſphæræ ratio conſiſtit, ſimili, atque illi, ratione procedemus, ut quiuis ſimili modo, licet primis etiam Aſtronomiæ rudimentis penitus deſtitutus, huiuſmodi ſingulorum cognitionem per quam facillimè, atque extemplo conſequi ualeat. Sciendum eſt igitur in primis finxiſſe ueteres ſapientes, in cœlo duos exiſtere polos, quorum alterum, qui ſcilicet ſemper nobis eſt conſpicuus, uocauere modo ſeptentrionalem, modo arcticum, modo borealem: alterum uerò, qui ſemper, utpotè depreſſior, à noſtro aſpectu remotus eſt, non iniuria auſtralem, meridionalem, ſeu antarcticum appellarunt. utroſque latino vocabulo nominans Virgilius in Georgicis uertices, ſic de iis cecinit.

Hic uertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra uidet, maneſq; profundi.

Hos autem ſiue polos, ſiue vertices, in ſimplicioribus horologiis exprimit horarum coitio à meridie initium ſumentium. nam huiuſcemodi linearum concurſus in ſuperficie verticali polum arcticum, in horizontali antarcticum indicat. Ipſe uerò index horarum ſiue ſtylus,

in quo circulus ęquator in 24 ęquales horas diſtributus figitur, quum deſcenſu aſcenſuq; ſuo utrunque polum proſpiciat, non iniuria axis mundi uocitari poterit. nam per eius vmbram horæ ipſæ diſtinguuntur dinumeranturque, quas ſubinde in ſuperficie quacunque obiectā per filum centro innixum etiamnum traducere non erit difficile. Et quoniam pars vna Zodiaci uergit ad polum arcticum, altera ad antarcticum: ideo non eo inficias vmbram à centro ipſius ęquatoris vnà cum axe procreatam in aliqua ſuperficie, tot parallelos deſcribere (quāuis adeò præciſe illic ipſi non appareant) quot Sol in cœlo raptu primi mobilis, conſtituit, licet in horologiis noſtris nihil præter tropicos & ęquinoctialem figurare conſueuimus. verum tota illa linearum in modum retis facta deſcriptio, non tantum horarum, ſed aliarum etiam rerum, quæ in ea uidentur deſcriptæ, utroque tropico intercluſa, via ſolis poterit appellari, eaq; exprimit zonam quam torridam dicunt. Et hæc ſingula per nodum in axe infixum, ſeu per ſtyli apicis vmbram perpendere poteris. ipſe autem ſtylus (quum ſit loco axis mundi) tantùm extare debet à ſuperficie horologij, quanta eſt altitudo ęquatoris, aut etiam poli (prout enucleatius hæc ſuis locis aperiemus) ſublimitas ſupra finitorem in tua regione, quum eius locus referat quodammodo ſemper centrum mundi. Sunt porrò quidā circuli, uel (ſi ita eos uocari mauis) arcus, quos placuit quibuſdā verticales appellare, ꝙ tranſeunt per zenith (is eſt punctus in cœlo directò impēdens uertici noſtri capitis) diuiduntq; totum hemiſphęriū in 360 æquales partes uſq; in horizontem. qui quidem Arabicè uocantur Azimuth: ex quibus ſcimus quantum diſtet Sol, aut aliqua ſtella à quauis quatuor plagarū mundi, ſeu quo in loco horizontis Sol, aut ſtella oriatur, aut occidat. ex iiſdem etiam aperitur nobis via ad cognitionem ſtellarū nobis nondum cognitarum, prout in quodā noſtro opuſculo de habendo uero loco ſyderū tam errantium, ꝗ inerrantium, quod, annuente Deo, propediem ſumus edituri, affatim diſſeremus. Hos tu igitur arcus Azimuth in tabulis huius tertij libri paſſim inuenies ſub titulo arcuum verticalium ſeu horizontalium, prout ſuperficies requirit, ad quam animus eſt ſciothericum horologium delineare. Sanè meridiani circuli imago eſt linea meridiana, quemadmodum linea tranſiens per centrum ſtyli horologij horizontalis ac etiam verticalis dextra lęuaq; ortum rectum & occaſum ſæpenumero indicare poteſt. Quoniam igitur habes iam, optime lector, in tuis horologiis totam quodammodo mundi ſphærā, uel ipſam potius eius ſiue imaginem, ſiue figuram inſertam: iccircò

in hoc

in hoc noſtro opuſculo explicabimus: uarij generis horologiorum lineamenta, quibus non ſolum horæ ęquales & inęquales pluribus dignoſcuntur modis, uerumetiam locus ſolis, horoſcopus, & alia præterea complura ſcitu digniſſima, quæ per radios ſolares atque lunares haberi poſſunt, deprehenduntur. In primis itaque ſimplicia horologia horas & ante & poſt meridiem continentia uariè inſcribere docebimus. idque ne aliquid in noſtro opuſculo deeſſe uideatur. deinde horas tum ab occaſu, tum ab ortu aperiemus, & reliqua, quæ tibi per temetipſum ſuis locis difficile non erit animaduertere. Mox etiam ſignorum zodiaci interſtitia, ex quibus nõ ſolum locus ſolis deprehenditur, uerũetiam aſcendens ſignum (quod Græci ἀνατολὴν, ſeu ὡρόσκοπον uocant) exploratur, inuſitato quodam artificio, delineata, pateſaciemus. quod eius cognitio uix credi põt quãtopere ad mathematicarum rerum tractationem conducat. quippe quum multiplex inde in tota obiter. ferè Aſtrologia: uſus dependeat: ſitq; (ut omnes aſſerunt Genethliaci) præcipuum & neceſſarium ipſius fundamentum. Hæc autẽ tam luculenter explicata reperies, ut nemo ſit uel puer, atq, adeò alioquin in Mathematicis rudis omnino, qui non ea facilè percipere, atq; expeditiſſimè, ſi uelit, abſque ullo errore conſequi, ac denique eis pro uoto ſuo uti poſſit. diuturni ſiquidem labores per nos magno cum ſudore perlati, ita aliorum labores leuauerint, moleſtiasq; omnes auerterint, ut quicquid quiuis aggredi attentauerit, dicto citius ſit aſſecuturus, ſi noſtram hanc doctrinam animaduerterit. Quanta autem cõmoda non ſolum Mathematicis, uerumetiam rudibus & indoctis allaturus ſit huiuſcemodi ſciothericorum uſus, neminem, licet ualde imperitum, latere arbitramur, quum nihil ſit in toto terrarum orbe, ubi neceſſariò horarum & temporis diſcretio non interueniat. Et quãuis horologia paſſim ſub tecto reperiantur, quæ interdiu noctuq; horas indicent; ea tamen ſumenda aſſiduè ex ipſis ſolariis ęquatione indigent, propter naturam eorum inſtabilem fluxamque: atque ob eam cauſam, ſemper uariam, atque incertam. Hinc fit, ut qui horarum ſigna dant, ſolaria identidem inſpiciant: ut ad amuſſim rotam horariam quæ propter aeris inconſtantiam facillimè, aut citius, quàm par eſt decurrere, aut etiam tardari conſueuit, ad uerum, certumq; ſuum locum reuocent. Quare noſtram hanc doctrinam, prudentiſſimè lector, tibi accuratiſſimo ſtudio uendicare feſtina. ea nãq; breui admodum compendio percepta, lętaberis profectò, miraberisque, quum te totam horologiographiam tam facili & noua ratione didiciſſe perſpexeris.

Latitudinem regionis, climatis, oppidi, lociuè, facile cognoſcere. Caput primum.

QVum locorum latitudines ad ſolaria horaria, ſeu ad alia quæcũq; inſtrumenta Aſtronomica fabricãda habere in promptu operæprecium ſit: libuit hic in eorum gratiam, qui huiuſcemodi doctrinæ cupidi ſunt, inſigniorum locorum, ciuitatum, & oppidorum latitudinum tabulam ſubiungere: quam pro iudicio noſtro, atque obſeruationum collatione multiplici, q̃ueriorem potuimus, efficere conati ſumus. Quære itaque in ea ciuitatis nomen, ad quã horarium fabricare intendis: atque illa inuenta mox eius latitudinem in gradibus & minutis offendes. & ſi ea ibi adſcripta non fuerit eam ſume, quæ illi ſit uicinior. ſed quum hæc prima inſpectione adeò manifeſta ſe offerant, ut de his addere uerbum, ſuperuacaneum ſit: ideò ad ipſius tabulæ deſcriptionem pertranſeo.

TABVLA LATITVDINVM CIVITATVM, locorumque totius ferè Europæ inſigniorum nuper examinata.

Nomina	G. M.	Nomina	G. M.	Nomina	G. M.
ALEXANDRIA	44 8	Berlinum	52 50	Compoſtellum	44 13
Ancona (gio	43 40	Brunduſium	39 40	Cõſtãtinopolis	45 0
Antuerpia ĩ bel-	51 0	Bruxella	51 0	Corduba	37 50
Aquila	43 30	Bononia Italiæ	44 50	Cracouia	50 12
Aquileia	45 20	Brixia	45 12	Cremona	44 48
Arretiũ hetrurię	42 44	Buda Pãnoniæ	47 0	Cosẽtia Calab.	39 30
Argẽtina Germ.	48 45	Burdigalia.	45 0		
Ariminum	44 0			DANTISCVM	54 50
Auguſta Vindel.	48 15	CAESARAVG.	41 0	Dertona	44 0
Auinio.	43 50	Canæ	40 44	Dreſcena.	44 0
BARCINO	41 0	Canuſium	40 32	EDELBERGIA.	49 30
Barium	40 6	Capua	40 32	FAVENTIA	43 30
Baſilea	47 40	Catania	37 40	Francphordia	52 33
Bellunum	46 8	Chaletum	52 0	Ferraria	44 20
Bellegradum	47 0	Colonia Agrip.	51 0	Florẽtia (gno	43 10
Beneuentum	40 32	Conſtantia	47 [illegible]	Forũ Flãm. Foli	42 40

Nomina	G.	M.	Nomina	G.	M.	Nomina	G.	M.
Forum Liuij	43	40	Nurſia.	43	10	Saltezburgum	47	38
Forū Sēpronij.	43	30	ORTONVM.	41	48	Sardinia inſula	37	30
GANDAVVM	51	14	PADVA	45	0	Scotia	57	0
Genua	42	50	Panormus	37	0	Sicilia	37	0
Granata Hiſp.	38	0	Papia	46	28	Spoletum.	42	4
HALLIS de In-	47	0	Pariſij	48	27	TARENTVM	40	0
Hybern, (ſpruc	57	0	Parma	44	20	Taruiſium	45	32
Hieruſalem	31	40	Peruſium	42	20	Taurinum	43	40
hydrūtū, otrōto	40	0	Piſa	42	56	Tibur	42	0
Hyſpalis Hiſp.	38	0	Placentia	44	30	Toletum,	39	55
INDEL burgum	47	0	Praga	50	4	Tridentum	46	4
Ingolſtadium	48	40	Portugallia.	42	0	Tubinga.	48	33
LANTIANVM	41	40	QVINQUE eccl.	47	0	VENETIAE	45	0
Liſbona, LEſbiū	39	38	RAGVSIVM	42	20	Verona	45	30
Lódoniū, lódra	52	30	Ratiſbona	47	10	Viena Auſtriæ	46	20
Lubecca	53	0	Rauenna	43	44	Vicentia	45	36
Lucca	43	20	Recanatum	42	48	Villacum	46	8
Lugdunum.	45	50	Regiū calabriæ	44	2	Viterbum	42	30
MAGVNTIA	50	15	Regium lepidi	43	39	Vlma	48	20
Mantua	44	56	Rodes Frácięſe	44	10	Vratiſlauia	51	0
Maſſilia	43	6	Roma. (gu.	41	10	Vrbinum	43	4
Mediolanum	44	48	SALAMANCA	41	50	Vtinum	46	32
Mutina.	44	8	Salernum	39	30	Volaterræ	42	40
			Sauona	43	0	Vitēburgum.	49	44
NARBONA	43	0	Sene	42	32			
Neapolis	40	20	Sibinicum	43	10			
Nola	40	24	Syracuſæ	37	15			
Nurimbergum	49	27	Spira	49	50			


Lineam meridianam in aliquo plano trifariam deſignare. Cap. 2.

SVper centrum E ducatur circunferentia, & quum primum conus vmbrę ſtyli in centro E ad rectam lineam impendentis tangit circũferentiam tam ante meridiem q̃ poſt, ibi notas duas facito, nẽpe A & B, atque in dimidio arcus inter utráq; earum comprehenſi, notetur punctum C. Tandem linea recta ducatur, quæ tranſeat per puncta E & C: & continuò prodibit linea meridiana, ut hic uides.



Alio modo lineam meridianam in aliquo plano deſcribere poteris: idque quum ſol æquinoctialem tenuerit: quod bis duntaxat in anno contingit, nempè die 10 Martij, & 13 Septembris. is autem fuerit, ſi erecto ſtylo ad perpendiculum, extremitatem eius vmbræ crebro, punctis

ctis impreſſis, notabis: & per ipſa puncta duces lineam rectam ortum atque occaſum rectum indicantem, qua tandem per aliam lineam ad rectos angulos ſecta, linea conſurget meridiana, ut hic patet.



Tertius modus inſcribendæ lineæ meridianæ & quã expeditiſſimus, per ſciothericum horarium quauis hora tibi certa extẽplo expediri poteſt. Collocato enim ipſo ſciotherico ſuper planum ipſum, tãdiu id uertas, quoad conus vmbræ ſtyli tangat horam tibi notã. tunc enim linea meridiana ipſius horarij indicabit tibi meridianę lineę locũ inſcribẽdę.

Poteris denique, & quandocũque tibi placuerit, per compaſſum lineam meridianam deſignare. ſed quum hoc omnibus notiſſimum ſit, ad alia porrò trãſeam. Inuenta autem linea meridiana, quo tempore contingat meridies ſcire, non erit difficile. nam infixo ſtylo ad perpendiculum in ea ſtante, quum primum, ſole radiante, vmbra ſtyli ipſi lineæ ſe coniunxerit, ſemper erit meridies.

Obiter hic non eſt prætereundum, Sole meridianum poſſidente, ua-

rias

rias meridianas lineas (vnica obtenta) vbilibet poſſe procreari. Tunc enim vmbra cuiuſlibet ſtyli perpendiculariter ſtantis, lineam tibi in plano meridianam præſtabit.

At in muro, quãuis meridiem non præciſe aſpiciat, lineam prædictam, hac lege (ſole meridianum tenente) procreare poteris. Infixo utcunque in muro ſtylo permanſuro. aduerte ubi cacuminis vmbra ſtyli murum tangat: & ibi procrea punctum. Deinde duc lineam perpendicularem per prædictum punctum, quia proculdubio erit meridiana.

Per hanc autem lineam, muri declinationem perdiſcere poteris cõmodiſſimè, modo tabella ſequenti utaris, prout inferius explicabimus.

Si autem abſque ſolis adminiculo lineam meridianam in quacũque muri ſuperficie figurare uolueris: primum ex doctrina capitis ſequentis, eius declinationem ſiue ad ortum, ſiue ad occaſum, explora, Ea habita, mox adi ſequentem tabellã, & quere ipſam, ſeu ipſi quãproximam, in primis numerorũ ordinibus, nẽpè ſub G. illicò animaduertes in altero quot duodenas ſtyli partes & minutias diſtet linea meridiana à loco ſtyli. Hoc facto, ſumptam intercapedinẽ totidem illarum duodenarum trãsfer à loco ſtyli uerſus dextrã, ſi declinatio muri fuerit ad ortum: aut ſiniſtrorſum, ſi ad occaſum uergat, & ibi procrea punctũ: & per illud duc lineam perpendicularem, & ea tibi erit linea meridiana.

TABELLA DISTANTIAE LINEAE meridianæ à loco ſtyli in muris tam rectis quàm obliquis.

Decl.	vmbra	Decl.	vmb.	Decl.	vmb.	Decl.	vmb.	Decl.	vmb.
G.	P. M.	G.	P. M.	G.	P. M.	G.	P. M.	G.	P. M.
0	0 0	20	4 22	40	10 4	60	20 47	80	68 3
5	1 3	25	5 36	45	12 0	65	25 45	85	137 10
10	2 7	30	6 56	50	14 18	70	32 58	90	ĩfinita.
15	3 13	35	8 24	55	17 8	75	44 46		


Quòd ſi verſa vice per lineam meridianam prius obſeruatam, muri declinationẽ inueſtigare uolueris. vide quot partibus linea meridiana abſcedat à loco ſtyli, & has ſeu uiciniores quere ĩn premiſſa tabella ſub proprio titulo, mox in numerorũ graduũ ſerie declinatio muri queſita apparebit: quæ erit ad ortum, ſi linea ipſa meridiana in parte orientali inciderit, aut ad occaſum, ſi ipſa in occidua plaga contigerit.

Declinationem

Declinationem muri facilè percipere. Cap. 3.

FAc in primis in aliquo quadrangulo puta A B C D, ſemicirculum, & eum (ſolito more) in 180 gradus diſpertire, nempè in duos quadrantes: & utrinſque quadrantis gradibus adiice proprios numeros initio ſumpto à puncto F ſemidiametri, donec ad nonagenarium utrinque peruenias in punctis diametri A B. Quartæ autem ſiniſtræ inſcribes Declinatio ad ortum, quãuis ad occaſum uergat: alteri uerò quartæ, quæ reſpicit ad ortum: Declinatio ad occaſum, ut hic uides.

DECLINATORIVM.



Porrò ex centro E demittatur filum cum perpendiculo: & paratum erit inſtrumentum ad omnes declinationes alioquin in pendulis ſuperficiebus explorandas cõmodiſſimum. Declinationem itaq; muri exploraturus, primò in aliquo plano ſecus murum, lineam meridianam per præcedens caput deſcribes: ſuper quam ſi poſueris hunc ſemicirculum tangentem parietem per ſuum diametrum: mox uidebis gradum declinationis muri lineæ meridianæ incumbentem, quã orientalem, ſi fuerit in quadrante occidentis: aut occidentalem, ſi in oriẽtali quarta repertus fuerit, pronunciabis. Secus autem muris ad Aquilonem

lonem expoſitis continget: nam declinatio orietalis accipitur pro occidentali, & econuerſo. Quod ſi ſuperficies fuerit pendula, qualia ſunt tecta domorum: tunc ponendum erit inſtrumentum prædictum per tranſuerſum lineæ meridianæ ita ut basis C F D ipſam lineam orthogonaliter ſecet in ipſa ſuperficie repertam: illicò gradus à filo contactus erit declinatio, quam quæris; ad ortum quidem, ſi fuerit in parte orietali: aut ad occaſum, ſi in parte occidentali. Porrò murales declinationes facilius & expeditius uenaberis per magnetis Pyxidem: ſed quũ huiuſcemodi negotium nullam in ſe habeat difficultatem: tuo Marti relinquimus exequendum.

Horologium horizontale, hoc eſt in plano, horas à meridie duntaxat, & à media nocte indicans delineare. Cap. 4.

IN aliquo plano, tuo arbitratu, deſcribe circulum: & hũc per duos diametros ductos, in quatuor Quadrantes diuides, quorum vnus ſaltem in 90 gradus ſit diſtributus; ſic nãque diameter principij graduum lineę 12 horæ meridianæ accommodabitur: alter uerò circuli diameter utrãque horam ſextã indicabit. Hoc facto, aduoca tabellam tuæ latitudini congruam cum hora vndecima aut prima: & numerum graduum & minutorum è regione dextrorſum repertum recenſe in gradibus Quadrantis, & fini ſupputationis notam imprime: à qua uſque in centrum circuli duc lineam rectam horariam. Rurſus tabellam ipſam ingredere cum horą 10 aut ſecunda: & numerum graduum atque minutorum eis è regione dextrorſum reſpondentem ſupputa in eodem quadrante, & ibi impreſſa nota, duc aliam lineam à centro per eandem notam pro 10 hora. & ſic deinceps continuando opus uſque in ſextam horam duces lineas horarias: quarum intercapedines circino comprehenſas in alium traduces quadrantem.


Pro habenda uerò ſeptima veſpertina producere poteris ſeptimam matutinam: quemadmodum quinta veſpertina, in oppoſitum quadrantem dabit quintam matutinam.

Tabula

Tabula pro confectione horologiorum horizontalium.

Latit.	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52
H. H.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.
12 12	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0
11 1	10 10	10 25	10 40	10 0	11 0	11 8	11 20	11 30	11 40	11 50	11 58
10 2	21 6	21 30	21 50	22 0	22 30	22 50	23 15	23 35	23 55	24 15	24 27
9 3	33 40	34 5	34 30	35 20	35 30	36 0	36 32	37 0	37 25	37 50	38 15
8 4	48 50	49 30	50 0	50 25	51 10	51 40	52 10	52 36	53 0	53 30	53 48
7 5	68 0	68 24	68 55	69 10	69 30	70 0	70 15	70 30	70 50	71 10	71 20
6 6	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0

Quibus diligenter expeditis, proprios adiice numeros, & paratum erit horologium horas ante & poſt meridiem continens, prout per ſequẽtem figurationem ad latitudinem 45 graduum confectá uidere licebit.



Poſtremò fabrica triangulum ſimile atque æquale triangulo E B F. & ita ſuper lineam E B erigatur, ut recta B F non diſcedat à perpen-

 diculo,

diculo. ſeu erige è centro ſtylum rectum tantæ altitudinis ſuper lineam horæ 12, quanta eſt altitudo poli in tua regione, quod facilè fieri poterit per appenſionem quadrantis. Parato itaque horologio, poteris ab eo horas ante & poſtmeridianas elicere, ſi ipſum, radiante Sole, poſueris per lineam horæ 12 ſuper lineam meridianam, ita ut A meridiem, B ſeptentrionem proſpiciat.

Deſcriptio horologij muralis uerſus meridiē. C. 5.

HOrologium murale ſiue perpendiculare erectum præciſè meridiem reſpiciens, quod alij horologium verticale uocant: non aliter fit, quàm horizontale, de quo, capite præcedenti dictum eſt: niſi ꝙ tabella angulorum horariorum ſupputatur ſecundum altitudinem poli, & numerus horarum oppoſito modo inſcribitur.


Elige igitur ex tabulis ſequentibus tabellã tuæ latitudini conuenientem, & per eã operare eo modo, quo dictum eſt in capite pręcedenti.

	Tabula muralibus horologiis conficiendis inſeruiens.										
Lati.	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52
H. H.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.
12 12	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0
11 1	11 17	11 5	10 54	10 43	10 32	10 22	10 10	9 57	9 45	9 35	9 25
10 2	23 13	22 53	22 33	22 0	21 51	21 29	21 6	20 45	20 25	19 58	19 35
9 3	36 37	36 11	35 44	35 20	34 50	34 20	33 45	33 20	32 45	32 12	31 40
8 4	52 9	51 42	51 15	50 25	50 16	49 45	40 15	48 40	48 5	47 30	46 50
7 5	70 11	69 53	69 35	69 10	68 54	68 35	68 10	67 50	67 20	66 55	66 50
6 6	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0	90 0

Sciendum autem ꝙ ſub latitudine 45 graduum altitudo poli eſt ſimilis altitudini ęquinoctialis: atque horologium verticale non differt ab horizontali. Porrò hoc non eſt ignorandum, ꝙ iſtud horologiū duodecim duntaxat habebit horas: nam utraque hora ſexta matutina, ſcilicet & veſpertina obtinet locum horizontis: quæ etiam ęgerrimè ab vmbra ſtyli haberi poſſunt. hinc fit ut linea 12 horæ meridianæ ſit perpendicularis. At ſupra lineam utriuſque horæ ſextæ horizontis, lineæ horariæ nõ ſunt neceſſariæ, ſicuti in horologiis horizontalibus. Sed ut clarius intelligas inſpice ſequentem figurationem.

HOROL.

HOROLOGIVM VERTICALE.



Cautela.

Hic autem conſideranda eſt quædam non iniucundè alternās uarietas huiuſcemodi horologiorum in quibuſlibet duabus regionibus, quarum latitudines ſimul iunctæ ſummam graduum nonagenariam reddant. Exempli cauſa, ſi fortè ad omnes horas horologium fabricatum fuerit horizontale in eleuatione 48 graduum, ibi ſtatim habebis horologium verticale ſeu murale in eleuatione poli 42 graduum. ſiquidem 42 & 48 coniuncti, faciunt 90 gradus. Idem intelliges etiam in reliquis eleuationibus polaribus, quòd arcus verticalis, nempè horologium verticale ſub tali arcu fabricatum, in eleuatione poli ſui complementi ſemper etiam erit horologium horizontale, ut patet ex hic adſcripta tabella.


Tabella diuerſorum eleuationum correſpōdentium.

	90	23	67
1	89	24	66
2	88	25	65
3	87	26	64
4	86	27	63
5	85	28	62
6	84	29	61
7	83	30	60
8	82	31	59
9	81	32	58
10	80	33	57
11	79	34	56
12	78	35	55
13	77	36	54
14	76	37	53
15	75	38	52
16	74	39	51
17	73	40	50
18	72	41	49
19	71	42	48
20	70	43	47
21	69	44	46
22	68	45	

Deſcriptio horologij quando murus præciſè reſpicit Septentrionem. Cap. 6.

QVòd ſi in altera parietis parte ad Septentrionem expoſita, reliquas horas ante ſextam matutinam, & ſextam veſpertinā pro dierum maximarum quantitate habere deſideres: transferre poteris per circinum ultra lineam C D ſextæ horæ quintam pomeridianam, & ſeptimam poſt mediam noctem ex horologio præcedenti aſſumptas: aut ipſas ex parte oppoſita (prout exigit ratio) prolongare, quemadmodum ſuperius in horologio horizontali monuimus. Porrò ſtylus figendus in centrum E, faciendūq; ut aſcendat, ac polum reſpiciat. Deniq; hoc non erit aliud, q̃ altera dimidia pars horologij horizontalis ad eleuationem polarem eidem eleuationi reſpondentem fabricata, vt hic uides.

HOROLOGIVM IN PARIETE Septentrionem præciſè aſpiciente.



Figuram


Figuratio horologij Orientalis, & Occidentalis. *Cap. 7.*

QVum uolueris horologium deſcribere in muro, aut trunco, qui præciſè orientem, aut occidentem reſpiciat: ſic ages. In ipſa ſuperficie murali, quæ præciſè reſpicit Orientem, aut occidentem, duc duas lineas, alteram perpendicularem A B, alteram uerò C D ad eleuationem Aequinoctialis: quam per appenſionem quadrantis ad lineam perpendicularem facilè efficies. Deinde ſuper hanc lineam Aequinoctialis C D, vbicunque libuerit, puta in punctum E fige regulam aliquã uolubilem, quæ in 45 ęquas portiunculas diuiſa ſit, ſumpto exordio A loco centri E. Hanc regulam reuolue ſuper lineam Aequinoctialis deorſum: & opera ſequentis tabellæ diſtantias horarias in ipſa Aequinoctialis linea traduces, proprias ſignando notas.

Tabella longitudinum vmbrarum Solis in Aequinoctiali pro horol. Orientalibus, & Occidentalibus figurandis.


Horæ Orientales.	Horæ Occidentales.	P.	M.
6		0	0
7	5	3	13
8	4	6	56
9	3	12	0
10	2	20	47
11	1	44	46
12		vmbra infinita.	


Regula in 45 ęquas portiunculas diuiſa.



Punctis

Punctis itaque in Aequinoctialis linea impreſſis, ſtatue regulam ſuper ipſa puncta, & duc lineas horarias lineam Aequinoctialis ſingulas orthogonaliter diuidentes. Animaduertendum ꝙ hora ſexta tranſit per centrum E. Porrò linea horæ quintę Orientalis, eſt diſtantia horæ ſeptimæ, quemadmodum quinta occidentalis præbebit diſtantiam horæ ſeptimæ à linea horæ ſextę. Poſtremò proprios adiice numeros in lineis horariis ubicunq; libuerit: atque in centro E ubi fixa erat regula, erige ſtylum rectum neutrorſum declinantem, cuius longitudo ſit præciſè partium duodecim, in quot ipſas, regulam diuiſimus. atque ad huius vmbræ terminum horæ ipſæ à meridie ſupputatæ cognoſcentur.






Delineatio horologij iuxta eleuationem Æquinoctialis. Cap. 8.

AEquinoctiale horologium hoc modo deſcribes. Fac circulum in ſuperficie aliqua plana: & diuide eum in 24 ęquas portiones, & adſcriptis vnicuique propriis numeris, paratum erit huiuſcemodi horologium: quod erigendum erit ex vna parte ſuper lineam meridianã iuxta eleuationem Aequinoctialis: hac ſcilicet lege, ut in puncto horæ 12 tangat lineam medij cœli. Tandem fige ſtylum in centrum circuli: qui ubique in ſua extremitate ęqualiter diſtet à circunferentia circuli: & is mox oſtendet vmbra ſua ſingulas diei horas, idque ſole exiſtente in ſignis borealibus. In auſtralibus uerò, pars oppoſita ſiue inferior, per vmbram eiuſdem ſtyli horas itidem tibi commonſtrabit.


HOROLOGIVM AEQVINOCTIALE
ad eleuationem Æquinoctialis
45 graduum.



Tria horologia in vno & eodem ſtylo componere. Cap. 9.

POteris autem in vno & eodem ſtylo ad poli eleuationem erecto, tria componere horologia, quæ ſuperius dicta ſunt: nempè vnum in plano aliud in circulo Aequinoctialis ſuperficiem planam repreſentante, & tertium in ſuperficie perpendiculari: & ita accommodabis hæc tria horologia, ut ſuperficies plana, & perpēdicularis, in baſi conueniant in angulo recto: & in medio ſit ſuperficies Aequinoctialis, & per eius centrum tranſeat filum à centro utriuſque ſuperficiei, & ſit erectus ad poli eleuationem: & illicò triplices prædictas horarum ſeries ab vmbra ſtyli contactas habebis in promptu, prout ex hac figuratione conijcere poteris.


Conſtructio



Conſtructio horologij ad ſuperficiem planam Æquinoctialis: quod ſcilicet ſub Æquinoctiali ſit horizontale, & ſub polo, murale: & dicitur polare ſuperius. Cap. 10.

SVpra, capite 7 huius docuimus quonam pacto horarum diſtributio in horologiis Orientalibus, & Occidentalibus ad eleuationem quidem Aequinoctialis fieri debeat. illinc tu quæ ad locum hunc neceſſaria ſunt, aſſumes. Nam eodem modo illic agitur atque hic: niſi quod ibi totus conatus uerſatur ad dimidiatum, hic uerò ad integrum horologium. vnde ſi duples occidentale, aut orientale horologium, conſtitues polare, & quod ſub Aequinoctiali eſt horizontale. Animaduertẽdum tamen quod numerus horarum ſignatur aliter quàm ibi dictum eſt. nam linea horæ ſextæ, eſt duodecima hora, quæ imminere debet lineæ meridianæ, ita ut ſtylus Aequinoctialem præciſè aſpiciat: & Aequinoctialis horologij ad angulum rectum interſecet lineam meridianam. Intuere igitur huiuſcemodi figurationem, in quam mox ſubiungere poteris ſeptimam matutinam, & quintam veſpertinam, quas ob marginum penuriam hic miſſas fecimus.

FIGVRA HOROLOGII PENDVLI in longum axis mundi ad Auſtrum conuertendi.



Sexta autem hora tam ante, q̃ poſt meridiem hic quoque minimè haberi poteſt: quum huiuſmodi murus eaſdem præcisè referat horas. Septima uerò hora tam veſpertina, quam quinta matutina, eadem lege ac dictum eſt, in altera ſuperficiei parte inſcribũtur inuerſis tamen numeris: nam quinta pomeridiana, erit ſeptima veſpertina. quemadmodum ſeptima matutina, ideſt poſt meridiam noctem, erit quinta à media nocte. In hac igitur ſuperficie polari inferius non niſi duas horas inſcribere poteris in noſtra hac regione: nempe ſcilicet alteram matutinam ſiniſtrorſum, & alteram veſpertinam dextrorſum. Porrò longitudo ſtyli erit præcisè tanta, quanta eſt circuli ſemidiameter: qui quidem ſtylus figi debet in centro circuli ſcilicet ubi fixa fuit regula, ſumitate eius ubique çqualiter diſtante, & ſic fixo, eius cacuminis vmbra horas indicabit.

Earundem horarum interualla in aliqua ſuperficie murali tam rectè, quàm obliquè meridiem aſpiciente per propriam tabulam facile delineare. Cap. 11.

QVum difficillimum ſit inuenire murum aliquem aut ſuperficiem ullam verticalem, cuius aſpectus nulla ex parte à meridiana plaga declinet, niſi hoc ex induſtria fiat: mihi ſanè libuit docere, quẽadmodum fieri poſſit: ut quibuſcunq; muralibus ſuperficiebus horologium aliquod delineetur. Quare ſi offeratur tibi aliqua perpendicularis ſuperficies, quæ non ſolum meridiem præcisè aſpiciat: ſed etiam ab eo ad orientem, uel occidentem decliniet: tuq; cupias in eis per tabulam delineare horologium: ages in hunc modum. Vide primum per caput 3, quot gradibus murus oblatus à meridiano orientem uerſus: occidentemuè declinet aſpectu. & hanc declinationem memoriæ trade, quia poſtea ea indigebis. Deinde in ipſo pariete duc lineam perpendicularem, quæ ſit puta A B duodecimæ horæ, & conſequenter lineæ meridianæ aſſignandæ. & in hac linea, puta in centro E, fige ſemicirculum per ſuum centrum, vnà cum longo filo: & ita accommodetur, ut eius ſemidiameter lineæ perpendiculari ad amuſſim incũbat; & eum firmabis. Hoc ſic immobiliter quieſcente: pete tabulam ſequentem pro diſtantiis horariis figurandis ad uarias parietum declinationes fabricata: & è regione horarum lateralium ſub declinatione murali prius inuenta, aut eidem propinquiore quos graduum, & minutorum numeros offenderis: eos in ſemicirculo recenſe: atque ibi extenſo filo, ad eius tactum in muro pro ſingulis horis, quas ex prædicta tabula elicueris, ſigillatim adhibe notam. Idem quoque facies in diſtantia lineæ ſtyli & eius eleuationis, notas identidem procreando.

Animaduertendum tamen, quòd huiuſcemodi gradus ſemper computantur à linea perpendiculari, dextrorſum, aut ſiniſtrorſum aſcẽſiuè procedendo, prout numeri ſequentis tabulæ inſinuant.

Tabula

Tabula diſtantiarum horarum à linea perpendiculari pro muris tam rectis quàm obliquis.

G	0	5	10	15	20	25	30	35	G
H	G.M.	G.M.	M.G.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	H
6	90 0								6
7	69 15	73 52	78 43	83 52	89 13				5
8	50 46	54 4	57 46	62 3	66 59	72 24	78 17	84 33	4
9	35 16	37 10	39 23	42 4	45 24	49 21	54 7	59 41	3
10	22 13	23 4	24 4	25 23	27 3	29 6	31 40	34 55	2
11	10 43	11 0	11 27	11 40	12 14	12 55	13 48	14 57	1
12	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	12
1	10 43	10 33	10 32	10 35	10 40	10 52	11 9	11 32	11
2	22 13	21 34	21 10	20 52	20 42	20 43	20 53	21 11	10
3	35 16	33 43	32 34	31 30	30 54	30 21	30 7	30 6	9
4	50 46	47 57	45 39	43 41	42 2	40 41	39 38	39 27	8
5	69 15	65 1	61 20	58 1	54 58	52 32	50 22	48 32	7
6	90 0	84 58	80 19	75 30	71 6	67 5	63 27	60 9	6
7		114 58	101 17	96 8	90 47	85 28	80 12	75 15	5
8				117 51	113 1	107 35	101 43	95 27	4
9.									3
lin.	0 0	4 58	9 52	14 30	18 54	22 55	26 34	29 50	ty.
cl.	45 0	49 45	54 0	57 35	60 32	62 46	64 20	65 14	ty.

Hic intratur quando murus declinat ad Occidentem.

Hic intratur quando murus declinat ad Orientem.

Sequitur tabula diſtantiarum horarum à linea perpendiculari pro muris obliquis ſub latitudine 45 *graduum.*

Hic intratur quando murus declinat ad Occidentem.

G	40	45	50	55	60	65	70	75	G
H	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	G.M.	H
8	90 59								4
9	66 14	73 38	81 57	89 57					3
10	39 2	44 15	51 40	59 9	70 1	82 29			2
11	16 23	18 16	20 51	24 22	29 29	37 4	49 3	66 35	1
12	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	0 0	12
1	12 3	12 48	13 31	14 33	15 55	17 41	20 3	23 15	11
2	21 44	22 18	23 7	24 13	25 34	27 14	29 20	31 59	10
3	30 12	30 22	30 49	31 32	32 26	33 37	35 5	37 55	9
4	38 16	37 54	37 49	37 51	38 10	38 37	39 24	40 22	8
5	46 59	45 45	44 43	43 58	43 27	43 8	43 15	43 16	7
6	57 15	54 45	52 35	50 42	49 6	47 50	46 46	45 59	6
7	70 34	66 19	62 26	58 57	55 54	53 16	50 58	49 3	5
8	89 1	82 38	76 27	70 42	65 22	60 32	56 35	52 59	4
9		106 22	97 44	89 33	80 57	72 51	66 16	59 4	3
10						97 20	84 15	71 44	2
11								113 25	1
lin.	32 44	35 16	37 27	39 10	40 54	42 11	43 13	44 0	ſty.
ele.	65 32	65 16	64 29	63 15	61 36	59 34	57 13	54 33	ſty.

Hic intratur quando murus declinat ad Orientem.


Finis tabulæ diſtantiarum horarum, &c.

G	80	85	G
H	G.M.	G.M.	H
11	94 3		1
12	0 0	0 0	12
1	27 41	34 36	11
2	35 22	39 33	10
3	39 8	41 43	9
4	41 35	43 13	8
5	43 31	44 18	7
6	45 25	45 15	6
7	47 29	46 2	5
8	49 55	47 9	14
9	53 30	48 47	3
10	60 43	51 56	2
11	85 57	62 1	1
lin.	44 34	44 53	ſty.
ele.	51 37	48 25	ſty.

His expeditis, ſemicirculoq; à pariete ſemoto: pone regulam ſemper in cētro E, & ſuper ſingula puncta; & duc lineas horarias, quæ in E centrum concurrant. Hoc autem nō eſt ignorandum: quo murus ad Orientem inclinatior ſit: eò plures horas antemeridianas in parte ſcilicet ad Occidentem verſa inſcribendas uenire vnà cum linea ſtyli, & linea eius eleuationis. Econuerſo autem in muris ad occaſum uergentibus: quò enim murus à meridie ad occaſum magis uergere uiſus erit: eò plures horæ pomeridianæ cum cæteris lineamentis erunt notandæ. Non aliter figurabis horarum cōtexturam in muris Aquilonaribus: inuerſis tamen earū delineamentis. Nam centrum horologij uerſus cētrum terræ demittitur, lineis eius in altum conſurgentibus: atque horarum numeri (ut plagarum expoſcit ratio) immutantur. Tandem erige ſtylum rectum ſuper lineam ſtyli, qui tantum immineat, quātum ab ea diſtat linea eius eleuationis. ſeu fabrica triangulum inſtar ambarum linearum mox ponendum ſuper lineā ſtyli, quemadmodum ſuperius capite 4 declaratum eſt, ac ſequens exprimit figuratio ad declinationem occiduam grad. 50, ſub latitudine gr. 45 fabricata.

Declinatio

DECLINATIO MVRI MERIDIONALIS ad ortum graduum 50.




Horologium horarũ à meridie tam in plano, quàm in quauis murali ſuperficie per arcus verticales, & vmbrarum longitudines etiãnum exactiſsimè fabricare. Cap. 12.

PRotrahantur in primis duæ magnæ lineæ, perpendicularis, quæ ſit A B, & horizontalis C D in puncto E ſeſe orthogonaliter interſecantes. Deinde his lineis adhibe circunferentiam aliquam in 360 gradus (more Aſtronomico) diſtributam. Et ita eam accõmodabis, ut vnaquęque linearum pars ſingulis circunferentiæ quartis ad amuſſim reſpondeat, vniaturque, ut uidelicet pars inferior lineæ E B ſecet initium primi gradus.

mi gradus. linea uerò C E 90 gradum claudat: linea quoque A B 180 gradum: at E D 270. & hoc ſi declinatio muri fuerit ad ortum. nam ſi ad occaſum ipſa flectatur, totum opus tuum inuerſum ueniet abſoluendum: atque ſupputationis initium, licet in ipſamet linea E B exordium habeat: dextrorſum tamen emergendo procedere neceſſum erit. Area autem circunferentiæ debet eſſe reſciſſa: quò facilius, & cōmodius operationes tuas ualeas expedire. Aptata huiuſcemodi circūferentia: fige in centro è uolubilem regulam in plures ęquas portiones ex arbitrio (ſumpto exordio à loco centri) diſcriminatam. prout ſuperius paſſim explicatum eſt. His diligenter accommodatis: ad inſcriptionem horarum pomeridianarū in tuo pariete, hoc modo procedes. Vide primū per cap. 3. quot gradibus muralis ſuperficies à uero meridiei tramite declinet. Deinde aduoca tabellam eidem declinationi deſeruientem aut uiciniorem, & numerum tam graduum & minutorum arcuum verticalium, q̃ longitudinis vmbræ tropici Capricorni è regione horæ propoſitæ ſub ea compertum, elice. Poſitaq; regula ſuper totidem gradibus & minutis in circunferentia parietis ſupputatis. aduerte ubi vmbræ longitudo in regula ſic ſtante, finiatur: & ibi in pariete fac punctum pro hora prædicta; & ſic deinceps omnes illas diſtantias eidem tropico Capricorni relatas vnà cum vmbrarum longitudinibus miniſterio regulæ, in pariete ſingillatim puncta procreando, quotquot habere poteris, transferendas curabis. Eandem quoq; operationem facies cum diſtantiis & vmbrarum longitudinibus Aequinoctialis, & tropici Cancri. Et ne in ipſa operatione hallucinari poſſis; adſcribe punctis impreſſis numeros horarum. His diligenter expeditis, amotaque circunferentia & regula à pariete: omnia illa puncta conſimilia reduc in lineas horarias, quarum plurimæ, nēpè quæ ęquinoctialem ſecabunt, per eadem puncta neceſſariò tranſibunt: quod ſi ſecus eueniret, error utique corrigendus eſſet. Signatis lineis horariis, proprios adiice numeros ubicunque libuerit, atq; in eius centro erige ſtylum rectum, cuius longitudo ſit præciſè partium 12 in quot regulam diuiſiſti, atque ad eius vmbræ terminum horæ ipſæ cognoſcentur à meridie ſupputatæ, prout apparet in ſequenti figuratione.

Declinatio

DECLINATIO MVRI MERIDIONALIS ad ortum gradibus 50 ſub latitudine 45 graduum.



CAVTELA.

Hoc autem non eſt ignorandum, horarum lineamenta, quæ ſupra horizontem aſcendendo tranſcendunt (quum in muris meridionalibus parum conducant) poſſe omnino deleri. At in muris Aquilonaribus contra contingere. nam horarum lineæ, quæ ſupra horizontem conſurgebant, inuerſo horologio, fiunt ſub horizonte. quamobrem, mutatis numeris (ut in ſequenti capite fuſius explicabimus) affatim ſatiſfaciunt. reliquæ uerò, quum ſuperuacaneæ ſint, meritò obliterantur.

Linea porrò perpendicularis, quum neutiquam ſit meridiana, ſimiliter ipſa deleri poteſt. Nam linea meridiana ſemper eſt hora duodecima. Sanè omnia illa puncta tropici ſuperioris, reducere poteris in

vnam curuam lineam pro principio ſigni Capricorni; quemadmodum puncta inferiora, pro Cancri initio; & habebis utrunque tropicum. At linea ęquinoctialis ſemper ueniet recta lineam ſtyli orthogonaliter diuidens. Idem cum reliquis zodiaci ſignis efficere poteris: exploratis prius eorum diſtantiis, vnà cum vmbrarum lõgitudinibus, prout inferius docebimus. Cæterum quicquid de horologiis muralibus exequendum tradidimus: intelligendum eſt etiam de horizontalibus, in quibus ſub latitudine 45 graduum non ſecus atq; illis agendum eſt.

Quantas autem utilitates huiuſcemodi tropicorum, & ęquinoctialis deſcriptio allatura ſit: facile per temetipſum cognoſcere poteris: quando reliquarum horarum lineamenta ſubiungere optabis. Quamobrem ſi (verbi gratia) horas, quæ ab occaſu ſolis initium duxerint, infra huiuſce ſpacium includere libeat: ſupputabis in tropico Cancri minuta 43 poſt horam 6 pomeridianam; & ab eo puncto produces lineam per quintam horam ęquinoctialis uſque in 17 minutum poſt 3 horam pomeridianam Capricorni: & protinus habebis horam 23 poſt occaſum ſolis. & ſic ſemper, ordine in uerſo, procedere poteris uſq; in 12 horã, ſupputãdo ſingillatim poſt lineas horarum à meridie, tam in tropico Cancri minuta 43, q̃ in altero tropico min. 17, ac ducendo lineas per ſectiones ęquinoctialis. Idẽ efficies cũ horis ab ortu, ſed ordine inuerſo.

